



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Oliva Virg. Mart. 10. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. OLIVA VIRG. MART. 10. Iunij.

Nobilis virgo fuit OLIVA. Id si cunis avitis non crederem, monilibus crederem, vinculis inquam, quæ anno ætatis tertio decimo pro Christo gestavit, multum hoc muliebri mundo, & quantum nulla alia virgo, superba. At mors, sive ætati hoc, sive generis splendori dabat, noluit tam pulchram OLIVAM immaturo fato decerpere. Tyrannus tamen ex oculis patriæ (Panormum erat) in exilium transtulit. Nihil minus in hoc florere visa OLIVA. quid? quod cæco eidemque pedibus capto cum luce Christum ostendit, & ad partes Christianorū docuit ambulare; cum alius interea, quod fidem nollet aspicere, oculos amitteret. Hos tamen etiam respicienti restituit, & utrumque ad martyrij cursum præmisit, cum ipsa ad eandem gloriam seriùs, & ingentibus triumphis grassaretur. Etenim flagris cæsa in silvas est relegata. Gratulatae sunt scilicet sibi hæc de OLIVA, sub cuius umbrâ etiam effera animalia mansuescere, & cum virgine innoxia totum septennium agere visa. Interea homines in feras migrarunt. Nobilis enim juvenus dum feras captat, visâ virgine in retia Veneris se induit. At virgo, *An, ait, dubitatis parcere virginitati homines, cui vim inferre bestia ventur? aut, qui contra feras me defendit.* DEVM pugnaturum pro me in feros homines, dubitatis? Dixit, & nassis expeditos turpibus, mox martyres celo transmisit. Ipsa etiam superatis denuò flagris & equuleo: oleoque ab igne bulliente triumphans secuta, gladio secandam cervicem, caput coronandum celo dedit. Nunquam pulchrius laurus OLIVÆ se junxit. *Ex Ferrario.*

*Nec cedendum nec recedendum, etiamsi gravā
tentationum fervor utriusque hominis statum affli-
xerit: eligamus potius ardere, quam cedere. S. Bern.
serm. 3. de Vig. Nativ.*

S. BARNABAS APOST. II. Iunii.

HABUIT BARNABAS patriam Cyprum; magi-
strum in lege Judaica Gamaliclem; in Chri-
stianā ipsum Christum. Apud hunc virtus illum
in collegium discipulorum LXXII. adlegit; & me-
lior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo
aliquamdiu comitem addidit. Lystris postquam
Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque
velut cælo delapsa Numina excepit; jamque aras,
& victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo
Mercurium, in BARNABA Iovem venerata. Et
profecto, etsi, ut par erat, divinum honorem longè
illi repudiarunt, officio tamen tunc melioris Mer-
curij functi sunt; DEVMque civibus nuntiarunt.
Supervenientes quoque Iudæi plausum lapidibus
excitarunt, & his tantum non sepultum Paulum,
facile hominem, non DEVM esse probarunt. BAR-
NABAS etiam Salaminæ à Iudæis multis tormentis
exercitus, faxis ultimò obrutus, & in ignem con-
jectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum cælo Phœ-
nicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo,
quod D. Marcus terrâ composuit. Multò post,
cùm in sedem Antiochenam invasisset nescio quis
hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catho-
licâ etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Sala-
minæ Episcopo tertium visus monuit, uti com-
munis causæ patrocinium Constantinopoli apud
Imp. susciperet, simul etiam indicavit, quo loco
ossa sua, & unâ volumen, in quo D. Matthæi

N

Evân-